

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3297

Auteur(s) : Richard Ier Cœur de Lion, Angleterre (roi)

Bénéficiaire(s) : Saint-Jean de Jérusalem (ordre)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : ...1194, 5 janvier...

Lieu d'émission : Spire

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Richard [Ier], roi d'Angleterre, concède et confirme tous les biens de l'hôpital Saint-Jean de Jérusalem.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Harde (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 27, p. 8.

Texte établi d'après a

Ricardus, Dei gratia, Rex Anglie, Dux Normannie, Aquitanie, Comes Andegavie, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, comitibus, vicecomitibus, baronibus, senescallis, justiciis, prepositis et omnibus ballivis et fidelibus suis tocius terre sue, et universis sancte matris ecclesie filiis, ad quos presens carta pervenerit, salutem in Domino. Quam magnifica, quam jugis in operibus pietatis sacro sancta domus hospitalis Jerosolimitani existat, ad universitatis vestre noticiam non minus ipsa immensitas rei quam fame potest celebritas deduxisse ; cujus rei fidem certissimam in Jerosolimitanis partibus constitutis priorum oculorum testimonium et experientia ipsa fecere : nan preter cotidiana que ceteris indigentibus et supra fidem et super ipsius domus facultates Magister et Fratres ipsius domus hospitalis de Jherusalem exhibere subsidia, nobis quoque et ultra mare et citra tam devote tamque magnifice subvenerunt, ut et ipsa magnitudo subventionis et obligate sibi conscientie nostre judicium tanta nos beneficia dissimulare sub ingratitude non permittant. Quocirca piis eorum operibus volentes parenter in opere pietatis respondere, pro salute anime domini Regis. H. patris nostri, et. A. Regine matris nostre, et fratrum nostrorum, necnon et antecessorum nostrorum et nostre, dedimus et concessimus Deo et Beate Marie semper virgini et Beato Johanni Baptiste et supradicte domui Sancti Hospitalis de Jherusalem et Magistro et Fratribus et hominibus suis, in omnibus tenementis suis et in elemosinis que eis date et facte sunt et erunt, et in quibuscumque acquirere potuerint, dedimus et in puram et perpetuam elemosinam concessimus, omne jus, omne dominium quod ad nos pertinet et pertineat, omnem potestatem, omnes libertates et liberas consuetudines quas regia potestas conferre potest in omnibus, ut habeant et teneant omnes res et possessiones et universas pertinentias suas, quas in presenti possident et in futuro possidebunt, bene et in pace, libere et quiete, integre, plenarie et honorifice, in bosco et plano, in pratis et pascuis et mariscis et piscariis, in vivariis, in stagnis, in aquis et molendinis, in furnis et in foris et in nundinis, in terris, in agris et vineis, in censibus et venditionibus, in villicationibus, scilicet etiam in latrocinis et in raptu mulierum, in incendiis et in multiciidiis, in paagiis et in metis, in hominibus, in domibus, in mensuris et in civitatibus, in castellis et in villis, et in viis et extra vias, et ita volumus et firmiter precipimus, quod homines predicti Sancti Hospitalis [de] Jherusalem sint liberi et quieti de exercitu et equitatu et de theloneo et paagio et portagio et

passagio et de vinagio et foagio et de omnibus venditibus et de omnibus querelis, placitis, auxiliis et de taillagiis et de omnibus operationibus civitatum, castellorum, villarum, ut pacem habeant in omnibus. Similiter si aliquis hominum predictorum fratrum sit inmeritatus erga nos vel erga ballivos nostros pro quacunque causa vel delicto vel forisfacto, mercie et merciamenta peccunie predictis fratribus sine dilatione reddantur. Prohibemus etiam ne de aliquo ponantur in placitum nisi coram predictis vel eorumdem ballivis vel servientibus sancti predicti Hospitalis Jerosolimitani. Hec omnia predicta et omnes exitus, qui inde provenire poterunt, concessimus et confirmavimus cum aliis libertatibus et liberis consuetudinibus suis, cum universis rebus ad prenominatam domum et fratres et homines predicti Sancti Hospitalis de Jherusalem pertinentibus, in universo regno nostro, et in tota terra nostra ultra mare et citra, vel ubicunque sint, nichil nobis retinentes nec heredibus et suscessoribus nostris, nisi tantummodo orationes et bona spiritualia sepedicte domus Sancti Hospitalis Jerosolimitani. Testibus S. Lemovicensi, et H. Xantonensi episcopis, Balduino de Bethuna, Walklino de Ferrariis, Roberto de Harrecort, Gaufrido de Sei, Americo vicecomite de Thoarz, Hugone le Brun, Berlai de Mosteroel, Johanne preposito de Duai, Sefredo thesaurario de Ciscestria. Datum per manum Willelmi Elyensis episcopi, apostolice sedis legati, cancellarii nostri, apud Spiram, quinto die Januarii, anno quinto regni nostri.